

Exercitatio medica de suppressione urinae ... / praeside ... Dn. Henrico Meibomio ... publico eruditorum examini submittit Johann Albertus Papke Helmstadiensis autor et respondens Ad diem 2. Decembr.

Contributors

Meibom, Heinrich, 1638-1700
Papke, Johann Albert, active 1676
Universität Helmstedt.

Publication/Creation

Helmestadii : Typis Henrici Davidis Mulleri, Anno M C D LXXVI. [1676]

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/g8hyrnc9>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

**wellcome
collection**

Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

EXERCITATIO MEDICA

38

DE

SUPPRESSIONE

URINÆ

QVAM

DIVINA FAVENTE GRATIA

PRÆSIDE

VIRO CLARISSIMO

DN. HENRICO MEIBOMIO

MED. DOCTORE, ANATOMIÆ PRO-

FESSORE PVBL. ET ORDINAR.

NEC NON ARCHIATRO

GVELPHICO

DN. PRÆCEPTORE AC PATRONO OMNI

OBSERVANTIÆ CVLTV ÆTATEM

VENERANDO


publico Eruditorum examini submittit

JOHANN ALBERTUS PAPKE

Helmstadiensis

AVTOR ET RESPONDENS


Ad diem 2. Decembr.



HELMESTADI,

Typis HENRICI DAVIDIS MULLERI Acad. Typ.

ANNO MDCCCLXXVI.





Q. D. B. V.

DE

SVPPRESSIONE VRINÆ

THESIS I.



Um corpus nostrum tot, tamque variis morbis sit obnoxium, ita ut nullam in illo reperire nobilem partem, nullum membrum, nedum articulum possis, qui non suos patiatur affectus, quique non medicam opem requirant; quidam tamen ex illis majori molestia, & pluribus symptomatibus invadunt, citiusque ad mortem ducunt; quos proinde præ aliis à Medicis diligentissime esse considerandos, quivis facile intelligit. Inter hos autem non ultimum locum obtinet affectus ille gravissimus, qui Suppressionis urinæ apud Practicos nomine venit. Non infrequens ille est, & sæpe cito etiam à levi causa vel externa vel interna oritur, & citissime, si non justo tempore medela adhibeatur, homines jugulat, maximaque mala & dolores corpori inducit, naturali illa seri secretionem, & per vias urinarias excretionem intercepta. Hac de causa hunc gravem affectum attentius examinandum, & de ejus historia, causis, & curatione, quæque operationes Chirurgicæ illi tollendo convenient, pro ingenii mei tenuitate pauca proponere, eruditorumque censuræ subicere decrevi.

II. **Necessariam autem esse ex corpore nostro per vias urinarias naturalem illam superflui feri excretionem nemini non liquet, ideoque exponi pluribus à me non debet, patebit tamen magis, ubi de modo secretionis & excretionis egero. Quando jam ea non fit, supprimi urina dicitur, & affectus ipse Suppressio urinæ vocatur, quam vocem etiam nos retinebimus; quamvis, ut deinde dicetur aliquando renum vitio ferum à sanguine non separetur, & hinc nulla urina fluat, adeoque supprimi proprie dici non possit, sed tantum à sanguine non secerni.**

III. Aliquando autem parcius justo tantum redditur, si dum excernitur non continuò uti par erat fluit, sed cessat, antequam vesica inanita fuerit, quod urinæ difficultatem, Græci *δυσουρίαν* vocant; aliquando plane supprimitur, ita ut ne minimum quidem urinæ profluat, idque cum distensione fere magnam in pectinis regione, & tumore illic sensibili, Græci *ιξουρίαν* vocant. Duplicem autem constituunt autores Practici *ιξουρίαν*, unam, quando scilicet nihil feri ad vesicam è renibus descendit, adeoque illa vacua est, cujus exempla plurima collegit Marcellus Donatus in lib. de hist. med. mirab. l. 4. c. 28, alteram, quando, urina in vesica in copia existente, nihileminus tamen reddi nequit; hanc vocant legitimam, illam illegitimam sive notham *ιξουρίαν*.

IV. Ut autem omnia quæ de hoc affectu dicemus rectius intelligi possint, quomodo urinæ à sanguine secretio, & ejus è corpore deinde expulsio fiat, quarumque partium adminiculo, in antecessum, paucis tamen, considerabo.

V. Neminem hodie Medicorum temerè latet, ex quo Clarissimi Harveji aliorumque, Walæi, Conringii doctissima scripta, facem præluxerunt, sanguinem per arterias accedere ad partes omnes corporis nostri, per venas vero iterum redire ad cor, & ita continuo quasi circulo per totum corpus ferri, intereaque in omnibus corporis universi partibus, quas accedit sanguis, aliquam pati immutationem, sive in illis aliquid separetur, sive etiam in quibusdam locis ulteriorem perfectionem acquirat: Quæ quidem perfectio, nec ejusdem generis est, nec eodem modo se habet id, quod separatur.

VI. Nullibi autem in toto corpore insigniorem, quæque magis in sensus incurrat, separationem, quam in renibus à sanguine per arterias emulgentes allato fieri, certum est, quæ à nobis nunc considerabitur. Modum quo fiat, aliter antehac explicuerunt physiologi, aliter hodie nonnulli, clarissimo Anatomico Florentino Laurentio Bellino imprimis auctore, qui peculiari libro docet, substantiam renum nihil aliud esse, quam canaliculorum & capillarium meatuum, per quos urina in pelvim effluat, aggeriem, nec aliam in illis carnem reperiri, ideoque dum sanguis in capillaribus vasis ex arteriis in venas transit, serosam salsam partem in has fibras ire, perque illas tanquam per filtrum aliquod ad pelvim meare. Docet autem *ἀνοψία*, si corpus renum in longum disseces, filamenta ibi sive fibras à superficie externa, ad cavum usque pelvis esse productas, quas ipse non una vice à Cl. Dn. Præside in publica anatomia demonstratas vidi, suntque notatæ etiam ante Bellinum à

summo superioris seculi **Anatomico Barth. Eustachio.**
Quomodo tamen hæc separatio proxime fiat, nec
sciri exacte potest, nec ad Medicum, qua Medicum,
pertinet, illa determinare, dum in renibus hæc fieri
certò sciat.

VII. Renibus dico: provida enim natura cor-
pori nostro duos dedit renes (quanquam aliquando
unus tantum satis grandis in medio hærens, aliquan-
do tres vel quatuor fuerint reperti, sed hoc rarius est,
& monstrosus) quo uno forte rene ita debilitato,
ut inde secretio illa cesset, vel diminuta sit, vel aliter
læso, alter nihilominus cum suo uretere illud munus
obire, serumque à sanguine secernere possit. Utrum-
que enim renem illorumve ureteres simul adeo affici,
ut uno affecto statim quoque alterius pereat functio,
non semper contingit. Celeberrimus quidem Me-
dicus Petrus Forestus lib. xxiv. observ. xxix. exem-
plum habet ægri cujusdam cui uno rene à calculo ob-
struato, urina plane suppressa fuit, quod etiam Clar.
Bartholinus se observasse confirmat: & exemplum
habet in hac urbe CL. Dñ. Præses in fæmina, cui
quamvis nunquam, nisi in sinistro latere, dolor ob-
servatus, certo argumento, unum tantum renem la-
borare, tamen sæpius per aliquot dies urina in totum
supprimitur, quæ totalis interceptio utrumque renem
affectum esse indicat, alterum per se, alterum per
consensum: Interim per dissectiones corporum mor-
bosorum ipsis oculis patuit, alterum renem plane
fuisse vel absumptum vel exesum vel corruptum, ut
officio suo plane impar fuerit, altero nihilominus
sano, & urinam, vivente homine, recte secernente.

Vidit

Vidit hic ante aliquot annos Nobiliss. Dni. Præses in corpore quodam juvenili dextrum renem quadruplo vel quintuplo majorem, in gibbo plenum pure, in simo ita immutatum, ut concrecentem materiam gypseam potius, quam carnem referret, ad functionem plane inutilem, cujus tamen sinister ren recte se habens, urinam in vivente non suppresserat. Vid. Thom. Willis. l. de urin. c. 5. p. m. 396.

IIIX. Sed redeamus unde digressi sumus, & quomodo, quibusque viis urina in renibus secreta propellatur videamus. Quando igitur illa in renibus est secreta, fluit ad cavitatem, ab Anatomicis pelvim vocatam, quæ nihil aliud est quam dilatatio quædam ureteris adhærentis, descenditque ex illa in ureterem, hinc ad vesicam, cui ureteres ad latitudinem digiti inter vesicæ membranas progressi, oblique inseruntur non longe à collo vesicæ in postica sede. Vesica deinde expellit eam, fluit vero vel retinetur laxato vel constricto orificio, quod pro lubitu nostro in naturali statu mediante musculo sphinctere fieri potest, non item illo affecto, & tum excernitur, per urethram, longiorem in viris, brevior in fæminis.

IX. Debet autem urina in naturali statu potulentis fere copia respondere, quod si non fit, nec, uti deinde dicetur, per alias vias expellatur, necesse est, magnum inde corpus nostrum capiat detrimentum, tanto quidem majus, quanto in majori copia potulenta assumuntur. Nec tamen nimis sollicitè hæc proportio inquirenda est.

X. Patebunt autem omnia, ubi quæ p. n. circa urinæ secretionem eveniunt, plenius confidera-
vero,

ravero. Quod igitur quantitatem attinet, nonnulli parce emittunt urinam, copiam assumptorum aut consuetudini non respondentem, ratio est, quia latex aquosus aut alicubi in corpore subsistit, aut aliam quam ordinaria via, per renes nempe, fertur, ut plurimum ægris in sudores crebros ac molestos aut in diarrhæam fere continuam pronis, quomodo etiam observatum est, cathartici sumptis mictionem diutius dilatam fuisse, aut parum admodum urinæ redditum. Alii vix aliquot guttas, imo tandem nihil plane emittunt, & in totum supprimitur urina.

XII. Deinde notandum, quibusdam semper & continuo quasi tractu supprimitur urinam, aliis per aliquot tantum dies esse suppressam, dein fluere iterum, mox iterum supprimitur, quod à variis causis oriri potest, uti infra dicetur. Et sunt nonnunquam illius suppressionis statura quasi tempora, quod egregio exemplo Tulpus l. 2. c. 43. Theologi cujusdam Britannici declarat, cui urina supprimebatur quolibet ferme plenilunio, cum insigni angustia, & evidenti totius corporis incendio, neque ullam guttam urinæ poterat excernere, nisi vel declinante luna, vel per-tusa brachii vena, uti pluribus loco citato docetur.

XIII. Et quidem quando ita per vices supprimitur urina diu satis affligere interpolata illa suppressio potest, si autem totaliter est suppressa, salva vita non potest diu subsistere, cum enim continuo serum ex renibus per ureteres ad vesicam fluat, pro ratione durationis retentionis, in illa plus vel minus colligitur, ita ut aliquando sedecim libræ in vesica ægri cujusdam suppressione urinæ laborantis fuerint repertæ, unde

unde non potest non maxime distendi vesica, imo tandem disrumpi visa est, nisi alia in corpore gravia symptomata ipsamque tandem mortem inducat. Valde autem dissentiunt inter sese autores in determinando tempore, quousque durare possit suppressio urinæ, nonnulli enim undecimum, alii nonum, alii septimum tantum diem attingere scribunt: Quidam Medici decimum quartum, alii decimum octavum diem pro longissimo ponunt, refertque Schenkius l. 3. observ. Med. quendam urinæ suppressione sedecim diebus laborantem tandem aquosa ventris solutione ab hoc affectu liberatum fuisse.

XII. Cum autem, uti superius dictum est, duplex sit *ixxeia*, alia legitima & vera, alia notha seu illegitima, in legitima *ixxeia*, quoniam causa in vesica aut partibus illi adjacentibus hæret, solet ut plurimum dolor lumborum conjungi, per frequenter autem ille circa pubem una cum tumore & tensione percipi, nec circa pubem tantum, sed sursum quoque magis circa umbilicum, cum in tantum distendi vesicam posse experientia docuerit. Solent autem tum ægri conqueri, quod urinæ reddendæ desiderio teneantur, nec tamen excernere eam possint. Medici autem cum regionem vesicæ contrectant & comprimunt, non tantum tumidam & repletam eam deprehendunt, sed etiam à tactu illo dolor exacerbatur. Horum vero nihil in *ixxeia* illegitima adest, quoniam non vesicæ sed renum & ureterum vitio illa accidit, & potius illorum affectorum signa adsunt, quæ peritus Medicus facile dignoscere potest.

XIV. Aliquando circa viscera eorumque cavi-
B tates

itates congeritur ferum, & sic modo in ventriculo plus debito moratur, ejusq; distensiones cum sputatione molesta inducit, sæpius vero in cavitate abdominis, ac interdum thoracis, ac capitis deponitur, ibidemque morbos hydropicos inferre solet, vel etiam in vasis restagnat, adeoque sanguinis & liquoris nervosi moles adauget, atque motus insigniter pervertit. unde catharri, affectiones Rheumaticæ, ac non raro paralytes ac convulsiones excitantur, & ad cerebrum delatum comatosum affectum inducit, uti confirmat Practicorum haud infimus Riverius lib. xiv. praxeos c. 8. p. m. 234. aut denique humor iste aquosus in habitum corporis deponitur, atque ita totius aut partium quarundam intumescuntiam & Anasarcaæ similem affectum creat.

XV. Quod modum invadendi attinet aliquando subito urina plane supprimitur: quibusdam parce prius fluit, dein magis adhuc fluxus imminuitur, & tandem plane supprimitur, quæ omnia à varietate causarum *ιγγειαν* inducentium dependent, uti paulo post dicetur.

XVI. Contingit aliquando hominibus cætera sanissimis visis, aliquando morbofis; imprimis vero illis qui calculo laborant sive renum, sive vesicæ. Et quoniam hoc in loco de calculo fit mentio, lubet paucula de illius sede & generatione in renibus ad doctrinæ nostræ illustrationem adferre. Quamvis modus generationis calculi non satis exacte cognitus, probabilior tamen est illorum sententia qui coagulatione potius quam exsiccatione fieri mediantibus salinis corporibus existimant, estq; etiam à Practicis observatum,
calculo

calculo vesicæ laborantes, postquam urinam deposuerunt, cum magno conatu & dolore succum crassorem & viscidum excrevisse, illico in materiam squamosam obdurescentem, cujus odor fuit lixivialis, & consistentiæ qualis lixivii ad spissitudinem evaporati, cujus scilicet liquor crassior factus & frigori expositus protinus etiam in duritiem salinam obrigescit. Illa materia Tartarea, ut ita loqui soleat, cum sanguine circumfertur & alibi quidem etiam frequenter in calculos, frequentissime autem in renibus & vesica con- crescit. Et ibi quidem cunabula ejus sunt renum si- nus anfractuosi, in quibus minimi, mediocres, majores deprehenduntur, inde in vesicam delapsi, si non excernuntur, in lapides sæpe ingentes excrescunt, & plerumque nudi hærent in vesica, & in contractione il- lius ad orificium provolvuntur, ibique excretionem impediunt, & si grandiores sint, ita illud opplent & obstruunt, ut nihil urinæ possit emitti totalisque sub- sequatur urinæ suppressio, quale exemplum extat ap. Fab. Hildan. cent. 6. observ. 49. Aliquando circa vesicæ latera, inter membranas ejus, velut in cysti con- clusi hærent calculi, qui procul dubio à renibus ad- huc minores dimissi, in ureterum ductibus inter vesti- cæ tunicas perreptantibus hærentes illic sensim mole aucti fuerunt. Quale exemplum observavit Cl. Wil- lisius in fæmina quadam, quæ longe ante obitum è meatu urinario rejecit membranam crassam atque la- tam, materia sabulosa refertam, quæ (uti postea è ca- daveris dissectione constitit) fuit pars tunicæ interio- ris à calculis ibidem in maximo numero inclusis, at- trita & disrupta. Si autem calculus in renibus hæret

vel potest in orificium ureteris sese insinuare, vel descendens per ureteres utrobique obstructionem facere, quale exemplum memorat Willisius, de eadem paulo ante dicta femina, cujus cadavere dissecto juxta summitatem ureteris lapidem pollicis magnitudine defixum invenerunt, cujus extremitas fuit ductui seu cavitati ureteris adeo adaptata & firmiter impacta, & velut epistomio aperturam ejus exacte claudit, sero loque latici transitum omnino inhibuit. Et sic quoque minores calculi ex vesica in urethram in viris delapsi ibique fortiter impacti, canalem illum ita obstruunt, ut per parum vel nihil urinæ quamdiu ibi hærent, emittatur.

XVII. Alias qui chronicis morbis diu laborarunt, quique cachectici sunt aliquando hoc malum incurrunt. Et est cum paralyfi partium inferiorum non infrequenter urinæ suppressio conjuncta. Quin à vasorum emulgentium nimia repletione ex sanguine & sero copioso in iis collecto induci aliquando *ixxiar* notarunt Auctores imprimis Riverius cent. 1. observ. 1. In acutis morbis instante imprimis crisi per sudorem supprimitur frequenter urina, tunc enim natura humores serosos ad ambitum corporis mittit, & sudore excitato per cutim evacuat, & ita à renibus revellit. Observavit etiam Cl. Dn. Præses nonnunquam in febribus malignis & petechialibus urinam supprimitur, id quod rarius est, videturque illo modo contingere, ut alias post venena assumpta illa supprimitur.

XIIX. Occurrit vero peculiaris etiam differentia circa hunc affectum, ratione ætatis. Senes enim frequen-

frequentius quam juvenes suppressionem urinæ patiuntur, tam proprie quam improprie dictam, quod Medicus observare prognostici quoq; instituendi causa debet. Qui enim senex est, & *ixypiar* patitur, longe difficilius curabitur quam juvenis, monente Venerando illo Sene Hippocrate, annotanteque Reinerio Solenandro in suis consiliis Medicinalibus consilio 18. p. m. 72.

XIX. Causæ hunc affectum inducentes, & in sensus incurrentes variæ sunt. De calculis jam diximus, qui non tantum à vivis excreti, sed post mortem vel in renibus, vel ureteribus, vel vesica, vel urethra fuerunt reperti, & suppressionem se induxisse manifestarunt, cujus rei egregiæ sane observationes extant apud plurimos præclaros practicos, ex quibus imprimis videri merentur Fabricius Hildanus cent. 6. obs. 49. Petrus Forestus lib. xxiv. & Schenkus lib. 3. p. m. 531. & seqq. item Th. Willisus lib. de urinis cap. 4. p. m. 396. aliique.

XX. Aliquando etiam alii tumores & abscessus præter calculos vias urinæ obstruunt, grumus item sanguinis, quem & thrombum vocant, & pus tenacissimum quale aliquando emanare solet ruptis abscessibus, aut in ipso ductu urinario concreescere, cujus rei exemplum refert Forestus de juvene Bononiensi lib. xxvi. observ. xv. & mejendi difficultatem, tandemque ipsam urinæ suppressionem causant, annotatque Schenkus exemplum cujusdam, qui cum ex alto cecidisset, spina manente illæsa, magnam tamen copiam sanguinis cum urina profundens, unde deinde urina omnino suppressa fuit, cujus rei causam esse recte conjecit, concreti sanguinis grumum intus ori-

ficio vesicæ sese opponentem, quo circa demissa per
colem fistula, mox paululum urinæ reddidit æger,
extracto autem deinde cathetere, apparuit in ipsius
extremo grumi indicium. Quanquam etiam fieri
possit, ubi ulcerata fuerit vesica, ab alia causa inter-
na, ut paulatim in ipsa grumus concreascit, vel non
præcedente sanguinis fluore, quod Galenus 1. & 6. de
loc. affect. annotat.

XXI. Nonnunquam etiam *ixypia* oboritur à ve-
neno assumpto, à potu cerevisiæ recentis & non de-
fæcatæ, vel vini rubri styptici usu, vel à cibis, ut ostreis
&c. quæ partim in renum corpus illud distemperando
aut inflammando, partim in sanguinem agunt, partim
vesicam afficiunt, ut separatio tum urinæ & expulsio
fieri non possit.

XXII. Deinde etiam observatum fuit urinam
supprimi inflammatis partibus vicinis & adjacenti-
bus, vel sedis, vel vulvæ in fæminino sexu: In viris
enim intestinum rectum vesicæ adhæret, ideoque il-
lo tumente, aut à fæcibus flatibusque distento non
potest non vesica pati: in fæminis vero uterus inter
intestinum rectum & vesicam medius illam similiter
premit, quod vel in prægnantibus utero tumefacto
observare licet. Vid. Dodon. observ. Med. 47. &
Schenk. observ. 1. 3.

XXIII. Præterea in urethræ canali sæpissime ali-
quid nascitur quod viam obstruit, sive caruncula, sive
callus, sive alia quædam res ex crasso lentoque humore
paulatim longo temporis tractu generata (quod post
gonorrhæam virulentam gallici morbi imprimis ob-
servatur) tanto interdum facto augmento ut urinam
agre,

ægre, vel minime, nisi cathetere immisso viam aperiant, reddere possint, quale exemplum refert Forestus lib. xxv. obs. x. de quodam diu urinæ ardore & difficultate mingendi laborante, tandem ad aliqualem urinæ suppressionem, seu potius majorem difficultatem urinam excernendi deveniente, cujusurina instar tenuissimi filii cum impetu exiit, idque propter callum innatum seu carneam excrescentiam intus in ipso meatu urinario obortam, non tantum urinæ exitum impedientem, sed etiam in actu venereo maximum incommodum interentem.

XXIV. Aliquando *ixgria* oritur à causis refrigerantibus sive internis, sive externis, ex. gr. quando pedes summo existente æstu in frigidam aquam subito immittuntur, quale exemplum refert Amatus cent 4ta curat. 10. de puero quodam prope puteum diversante, & pedibus aqua madefactis urinæ suppressionem inde contrahente. Quamvis vero ille existimet, humorem quendam inter collum vesicæ & pudendum contentum, ibidemque concretum *ixgria* hanc induxisse, tamen à sola immissione pedum in aquam frigidam non interveniente humore aliquo, sed tantum refrigeratis nervis vesicæ hanc potius ortam fuisse arbitror, cujus rei simile exemplum refert Petrus Forestus lib. xxv. observ. xlix. Et constat alias post casum, ictum, aliisque de causis obortam partium inferiorum paralytin suppressionem quoque urinæ induxisse, affectis vesicæ nervis, cujus rei varia exempla recitat Schenkius.

XXV. Aliquando etiam ex longiori urinæ retentione vesica immodice distenta fit suppressio, dum
immu.

immutata quodammodo vesicæ figura in rotundam
versus orificium talis fit constrictio, ut illud ad mo-
lem incumbentis urinæ sese referare nequeat, fibris
etiam vesicæ, motui ejus inservientibus, ita à tono &
robore suo per longam distensionem diductis, ut ad
expellendum sese contrahere non possint: Quod illis
sæpe contingit, qui in conviviiis potantes nec ob pudore
surgere ausi urinam diutius retinent, unde postea
cum reddere eam volunt non possunt, quod Cl. Me-
dico Petro Foresto etiam aliquando accidit ipso id re-
ferente lib. xxv. obs. xiv. & Schenkus annotat exem-
plum juvenis cujusdam equo vecti, qui ob præsentem
dominam urinam reddere non fuit ausus urina deinde
in totum suppressa lib. 3. pag. 533.

XXVI. Deinde etiam hoc delirantibus nonnun-
quam accidit, ut dum nimis intenti sunt cogitationi-
bus suis, stimulum naturalem, qui alias in vesica perci-
pitur à præsentem urinam non sentiant, ideoque minge-
re obliviscantur, & deinde emittere eam nequeant.
Uti alias urinæ stimulus non percipitur, propter ob-
tusum vesicæ sensum, affectis nervis, qui ad vesicam
deferuntur, & hi inter dormiendum non sentiunt ve-
sicam impleri, postea autem expergefactis, illa adeo
extensa est, ut nihil excernere possint, quod luxata
spina, teste Galeno 6. de loc. aff. cap. 4. facile con-
tingit.

XXVII. Interdum urina per urethram non ef-
luit, non, quod in renibus non separetur, sed quod
aliâ quam ordinaria via feratur, in quo casu urina qui-
dem supprimi proprie dici non potest, per urethram
tamen non excernitur. Id quod Felix Platerus in
piscato-

piscatore quodam Helvetico observavit, cui ob vesicam quæ præter naturam ad inguina descenderat ibi dissectam, facta fistula, urina per totum biennium ex eo loco, non autem per penem effluxit l. 3. observ. p. 797. Fernelius recitat exemplum de quodam viro trigésimum annum agente, cui recens in lucem edito male vinctus umbilicus nunquam coaluit, dein autem semper urina ex eo exstillavit, è vesica per urachum in umbilicum refluens. Et Eustachius Rudius l. 2. c. 53. aliud annotavit plane mirabile, de monacho quodam ordinis Eremitarum, cui post *ἰσχυρίαν* vesica rupta fuit, non multis diebus post per inguina urinam is emisit, & deinde per femora, nates, vicinaque loca, & ita miseram vitam ad multos annos protraxit. Cui non dissimilem historiam refert Cl. Willisius de quadam Illustrissima fœmina, cui per dorsum urina fuit evacuata longo vitæ tempore, uti pluribus videre est in lib. eius de urinis c. 5. p. m. 396.

XXIIX. Ex his jam præmissis non pauca de suppressione urinæ ipsis quasi oculis patent, operæ tamen pretium erit in huius affectus causas amplius inquirere, imprimis juxta partes affectas. Diximus nimirum urinæ separationem à sanguine fieri & quidem in renibus beneficio vasorum ad pelvim tendentium, dein ex renibus in ureteres, hinc in vesicam delabi, inde laxato vesicæ sphinctere pro lubitu nostro expelli per urethram ex corpore. Ratione igitur tam variorum simul concurrentium, variæ etiam causæ sunt suppressionis urinæ.

XXIX. Cum autem urina ex cibo liquidiore & potu in ventriculo in chylum mutato, arque inde per vasa lactea in ductum thoracicum, inde in venam jugularem delat o, & massæ sanguineæ commixto suam desu-

mat materiam, non inconueniens erit ipsum quoque sanguinem considerare. Sunt autem in illo multæ serosæ partes ad sensum quoque observabiles, quæ alibi quidem etiam à sanguine secedunt, & excernuntur ex corpore, potissimum tamen in renibus.

XXX. Quodsi vero jam contingat, ut per alia corporis loca solito copiosius id serum fluat, tum diversio quædam ab ipsis renibus fieri potest, ceu eventus docet, plura sane hujus rei exempla apud autores extant. Apud Fab. Hild. legimus observationem de puero quodam qui quotidie ad minimum semel aquam salisam instar urinæ equinæ per os evomit. Forestus memorat in suis observationibus lib. xxiv. observ. xxix. de quodam cardinali qui septendecim dies vitam produxit absque urinæ emissionem per viam naturalem, sed per superiora illam vomitu rejecit. In primis autem egregium hujus rei exemplum extat apud Salmuth. in observ. cent. 2. obs. 82. de quodam calculo laborante, cui urina in totum fuit suppressa indeque totum corpus quasi inflatum, & quidem ita ut crepaturam fere minatum fuerit, sudore autem in toto corpore urinam plane referente subsecuto, venter vicissim subsedit, calculusque fuit excretus.

XXXI. Præterea quibus alvus est valde fluida, qui catharticum sumpserunt medicamentum, qui diarrhæa laborant, parum mingunt, similiter illi quoque qui multum sudant, non tamen plane inde suppressam urinam observamus, natura enim solis his evacuationibus non contenta, maximam quidem partem feri in massa sanguinea hærentis per sudores aut alvum exonerat, reliquam autem ad ordinaria hujus secretionis membra propellit. At in acutis morbis uti superius jam tum dictum instante
crisi

crisi per sudorem plane sæpe supprimitur, quia tunc per aliam viam illam evacuare tentat natura. Porro qui parum bibunt, parum etiam mingunt, non tamen in illis plane nulla fluit, quoniam in esculentis semper aliquid humidi quoque est, quod deinde in renibus secernitur à sanguine.

XXXII. Massa autem sanguinea, quantum ad scopum meum propositum requiritur, considerata, re-vertor ad renes, horum vero ratione non uno modo fit urinæ suppressio: Aliquando inflammantur, & per inflammationem illam ita vasa partim comprimuntur, partim distenduntur, ut exire urina & separari à sanguine nequeat. Illa autem inflammatio partim à causa externa oritur, ut sunt casus, percussio supra renes, ventosæ attractantes, emplastra calida corpore repleto renibus ad-mota. Quo facit dorsum ad ignem nimis calefacere, duriter equitare, saltare, currere, vel post cibum fortiter se exercere, balistam intendere, onera gravia sublevare aut portare, coitu nimio uti &c. Partim etiam internà, uti assumpto veneno, imò cibus nonnullis ut ostreis, vino & cerevisia recenti &c. Calculus quoque in renibus à frequenti illa attritione substantiæ renalis, subinde causa inflammationis renum existit. Magna autem ex parte inflammationes renum fiunt à sanguine, quando nempe corpus est plethoricum, continuo enim sanguis renes transit, & si in tanta copia ruit versus illos, distenduntur vasa fitque obstructio, & per consequens tandem inflam-matio, cujus rei egregium sane exemplum extat apud Forestum l. 24. obs. 32. Observatum quoque est aliis visceribus inflammatis, uti hepate, liene &c. per consen-sum renes fuisse affectos urinamque in totum suppres-

ſam, quale quid annotavit Fab. Hil. in filiolo ſuo recensato uti videre eſt. cent. 3. obſerv. 74. vel etiam pori carnis renalis occluduntur ut urina tranſire nequeat vitio non ſatis explicabili, quamvis ſenſibile aliquando ſit, apparet enim tum quodammodo lardosa renum ſubſtantia, contingitque ut plurimum ſenibus. citra ullam inflammationem, citra dolorem in parte, quale quid haud ita pridem Cl. Dn. Præſes hoc in loco obſervavit.

XXXIII. Præterea calculus in renibus hærens major in pelvi obſtruit ita orificium ureteris, ut delabi in illum nihil urinæ poſſit, quale quid ſupra ex Cl. Williſio annotavimus lib. de urinis. Et Salmuthus cent. 2. obſ. 82. refert de quodam chymico famoſiſſimo qui ex calculo renis dextri in omnimodam urinæ ſuppreſſionem incidit & ſatis gravem, ut nec vel guttulam urinæ undecim integris diebus excernere potuerit, tandem vero eò devenit ut anhelitum urinaceum redderet, indeque vomitus enormis, oculorum ſuffuſio atq; delirium ſuccederet; Verum duodecimo die excretis ſanguinis grumis evaſit, uti citato loco pluribus videre eſt. Foreſtus etiam plurima hujus rei exempla annotavit lib. 24. obſ. 30. Quod ſi ipſe ren totus quaſi in lapidem abeat, quod hoc in loco quodammodo obſervavit Cl. Dn. Præſes, multo minus tum ſecerni per illum urina poteſt.

XXXIV. Quemadmodum autem in quamplurimis corporis noſtri partibus generantur vermes, uti ex gr. in inteſtinis, ventriculo, in dentium interioribus, naribus, pulmonibus, ſic obſervatum fuit non infrequenter ipſos etiam renes occupaffe, quod imprimis in canibus, lupis annotavere Anatomici. Vidit etiam Cl. Platerus in colico quodam per mictionem cum urina innumeros, exiguos;

exiguos vermiculos vivos quales in caseo putri gignuntur excretos, & adhuc etiam in alio ægro hoc observavit uti videre est. l. 3. c. 13. Et Salmuthus historiam refert Cent. 1. obs. 49. de viro quodam præcipuæ authoritatis: qui tota examina vermium haud multum absimilium iis: quos millepedes vocamus per urinam excrevit. Nonnunquam autem totam ab illis renum substantiam fuisse exesam annotavere Authores præclarissimi vasis emulgentibus coalitis & callo obduratis, in quo casu nihil ferè in rene affecto secerni potuit.

XXXV. Aliquando contabescit plane ren cum suis vasis ubi tum nulla quoque fit separatio; Nephriticis etiam familiare est, sanguinem aut pus cum lotio crebro excernere, etenim à calculo majori & asperitatibus prædito, renum caro facile atteritur, dumque solutio continui hoc modo in renibus excitatur, sæpissime ulcus succedit, tandemque ipsa renum caro attrita & sensim exesa plane cum urina ejicitur: nonnunquam etiam ex acrimonia materiæ ad renem ruentis illius substantia tota fuit exesa & sensim excreta, remanente tantum illius involucro uti marsupio, quale quid annotavit Forestus lib. 24. observ. 36. in cerevisiario quodam & frumentatio mercatore, ambobus tandem cum multis annis magno cruciatu misere vitam protraxissent, mortuis. Egregium etiam hujus rei exemplum extat apud Cl. Willisium lib. de urinis.

XXXVI. Facile autem patet cum duo renes sint: ut suppressio totalis fiat, necessario debere utrumque renem esse affectum, quod cum non semper contingat, non etiam adeo frequenter fit suppressio totalis vitio renum. Sunt quidem ut supra th. 7. dixi, quo etiam Sal-

muth, c. 2. obs. 82. exemplum pertinet, qui existimant uno rene officium non faciente, alterum quoque per consensum non facere, in quam opinionem exemplo quodam etiam deductus est Doctiss. Petrus Forestus, ubi sinistro rene lapidibus obstructo in totum urina fuit suppressa, altero salvo & patente, hocque deducit ex sympathia, quam passus est ren dexter sinistro affecto, pluribusque contra Doctiss. Fernelium disputat, qui asserit uno rene obstructo, alterum nihilominus serum à sanguine fecernere, nec inde urinam suppressi, in quam sententiam lubens quoque descendo cum plurimæ contrariæ observationes docuerint verissimum esse, quod non statim per sympathiam alter ren afficiatur, etiamsi unus ex illis laboret vid. Forest. l. 24. observ. 26.

XXXVII. Secundoloco ureterum vitio fit *ίχθρία*, cum illorum meatus obstruitur, quod quidem fit frequenter à calculo in illis hærente: Natura enim ureteres angustos admodum condidit, quoniam ei tantum usui destinati sunt, ut urinam è renibus in vesicam deferant; successu quidem temporis in calculosis per crebrum lapillorum è renibus delapsum non nihil dilatantur, ita ut interdum etiam calculi magnitudine pisa aut fabas majores æquantes à renibus in vesicam descendere possint: Tamen non absque ingenti dolore ob exquisitissimum ureterum sensum, & periculo id fit. Quodsi calculus in ureteres decumbat, eisque impactus inhæreat, fitque acutus, dolor ingens, intumefactio interna, in temperies, febris, inquietudo, sæpe etiam delirium, lipothymia, aliaque periculosa symptomata subsequuntur ad auctaque postmodum in parte affecta inflammatione urina in totum suppressitur subsequente gangræna & sphacelo tandemque

demque ipsa morte, quale exemplum extat apud Fab. Hild. in lib. de lithotomia vesicæ. c. 25. Imo si calculus paulo major & acutus fuerit potest ipsos ureteres dirumpere, quale quid observavit Felix Platerus in puero, qui modo quasi natus in cunabulis cubans, post magnam urinæ suppressionem, calculum cum magna suppressæ urinæ parte excrevit, paulo adultior autem factus, magnos prius cruciatus nephriticos, inpr. in inguine dextro sentiens, brevi temporis spatio, urina maxima ex parte suppressa sine dubio ex uretere disrupto, totus hydropticus factus, maxima dyspnæa superveniente, misere extinctus fuit.

XXXIIX. Deinde grumus sanguinis hanc viam ita potest obturare ut nihil à renibus ad vesicam delabi possit, cujus rei elegantissima observatiò extat ap. Salmuthi. cent. 2. obs. 82. Fortassis etiam à crassiore humore, quale quid observavit Petrus Forestus lib. 24. obs. 15. in Carthusianis piscivoris, vel crassiore pure aut carunculis talis ureterum obstructio fieri potest.

XXXIX. Et quidem cum longi satis canales sint ubique potest fieri obstructio, & facere istam suppressionem, dummodo totum canalem modo dictum impleant. Si enim prope vesicam hærent, urina quidem delabatur ex renibus, sed pervenire ad vesicam nequit, ideoque admodum distendit ureteres. Notanter hic dico ureteres, obstructo enim alterutro tantum uretere, periculum longe minus, quam si uterque obstrueretur, erit, natura siquidem urinam ad alterum renem & per ejusdem ureterem ad vesicam deducit, quod annotavit Fab. Hild. in lib. de lithotom. vesicæ c. 25. Obstructo vero à retentis lapillis, arenulis aut similibus, utroque

que uretere, angor & cruciatus maximus oboritur. æger-
que ut Cl. Vir. Ambrosius Paræus l. 17. c. 36. testatur
iisdem sæpe doloribus, quibus submersi, opprimitur,
urina enim regurgitat, spiritus vitales suffocat, calorem-
que innatum extinguit, imo observatum fuit, ægros ali-
quos in tantis angustiis urinam superne per vomitum
reddidisse. Ex tali angore calculique in utroque uretere
retentione honestissimam Matronam extinctam fuisse
refert Fab. Hild. loco paulo ante citato.

XL. Tertio loco in vesica quodammodo detine-
tur urina quod quidem itidem fit vel à calculo, sabulum
enim per ureteres ex renibus ad vesicam delapsum con-
crescit ibi in unum corpus, & quidem aliquando ita auge-
tur, ut deinde in excretionem urinæ calculus ad orificium
vesicæ accedat, illique sese insinuans suppressionem uri-
næ faciat, si autem in tantam molem concreverit, ut non
possit amplius ingredi orificium vesicæ illudque obtura-
re, non quidem tunc tota supprimitur urina, sed tamen
alia gravia symptomata tum urgent, cujus rei & inde or-
torum symptomatum egregia extant exempla ap. Fab.
Hild. lib. de lithotom. vesic. c. 22, vel supprimitur etiam
à pure, pituita crassa, grumo sanguinis, excrescentiis, ad-
nascentiis, de quibus singulis supra jam tum egimus.

XLI. Præterea dum quidam nimis diu retinent
urinam distenta vesica tonum amittit suum, & illius fi-
bræ sese contrahere non possunt, nec proinde expellere
urinam; nam quantum amplitudo ipsius vesicæ expleta
circumtenditur, tanto angustior seipso fit meatus, refert-
que ex ore Viri Doctiss. Andreæ Toxotii Regiæ Maiest.
in Dania quondam Archiatri Fab. Hild. in lib. de litho-
tom. ves. c. 3. exemplum hac de re egregium, de Viro ce-
leberri-

leberrimo Tychone Brahe: Cum enim ille Pragæ in magno quodam convivio ultra vires & consuetudinem suam detentus, diuque urinam retinere coactus fuisset, postea reperto idoneo ad deonerandam vesicam loco, urinam amplius excernere non potuit, cumque inflammatio vesicæ subsecuta esset, è vita excedendum ei fuit. Et Petrus Forestus itidem exemplum recitat observ. 16. l. 25. de sene quodam septuagenario à nimis diu in convivio quodam retenta urina mortuo.

XLII. Aliquando vero paralyti affecta est vesica ideoque fibræ ejus moliri expulsionem nequeunt, cujus rei signum est, quod sine ullo dolore tum tumeat vesica; Necessè autem est præcessisse causas vel externas, ut si forte ceciderit æger ex alto, qualem casum aliquando vidit Petrus Forestus, vel internas, ut refrigerata ex. gr. nimium parte, sensu pereunte, vel etiam à potu opii, quin in schorbuticis & hypochondriacis aliquando cum partium inferiorum paralyti, vesicæ quoque resolutionem & urinæ suppressionem natam observavit Cl. Dn. Præses.

XLIII. Præterea orificii vesicæ tumores & inflammationes excretionem impediunt. Urina enim diutius in vesica retenta, in eaque collecta, vesicæ membranam adeo extendit, ut interdum venulas ipsius dirumpi oporteat, tumque sanguis in vesicam profluens ibidemque putrescens inflammationem parit, quæ deinde in abscessum definit, quale exemplum habet Fab. Hild. c. 3. obs. 66. Nonnunquam etiam schirrum post se relinquit inflammatio, qui collo vesicæ adhærens, suppressionem omnimodam, imo aliquando incurabi-

curabilem inducere potest, quale quid refert Fab. Hild. cent. 2. obs. 65. Et si in vicinia tumores orificium vesicæ premant, ut ex. gr. uterus in prægnantibus turgens, aut duræ faeces in intestino recto hærentes, qualem observationem habet Petrus Forestus lib. 25. observ. 11. egressum quoque urinæ vel totaliter, vel ex parte impedire possunt.

XLIV. Tandem etiam urethræ vitio potest urina supprimi: quando in ea vel calculus hæret, qualia exempla egregia sane extant apud Fab. Hild. cent. 6. obs. 56. & Salmuth. cent. 1. obs. 60. vel tuberculum seu caruncula est, quale quid post gonorrhæam virulentam accidere solet, seu aliud quid ut supra de ureteribus dictum. Imo observatum fuit aliquando à calculo in scroto hærente suppressam fuisse urinam, quale quid refert Fab. Hild. cent. 6. obs. 57. Quanquam retentio in urethra non sit tam periculosa, quam si calculus in ureteribus vel vesica hæreat, possumus enim faciliori operatione ad eum extrahendum instrumenta applicare.

XLV. Ex his ipsis quæ de causis diximus, jam etiam plerorumque symptomatum ratio patuit; quod si quædam adhuc supersunt phænomena ea explicari facile possunt. Uti quod per vices nunc fluat, nunc supprimatur urina, fit à causa mobili dum scilicet calculus aut aliud quid nunc claudit orificium seu canallem, nunc iterum apertum linquit.

XLVI. Cum vero à tam variis causis supra memoratis fiat urinæ suppressio, danda omnino opera est, ut intelligamus à qua causa illa orta sit, ut to illi dein eo citius & melius possit, ideoque signa diligenter
colli-

colligenda. Imprimis autem interest scire Medico gravissimi hujus affectus curam aggredienti, vitione renum aut ureterum quoque nulla fiat separatio & ad vesicam delatio, an separata urina supprimatur vel in ureteribus, vel vesica, vel urethra. Non potest autem hoc temere latere propter signa in hoc affectu præsentia & absentia: Si enim à calculo renum impeditur urinæ secretio signa manifesta adsunt, dolor nempe fixus & gravans in ea parte, difficilis spinæ flexio, dolor cum vomitu qui gravis est in hoc affectu & præsentate alvi constrictione ingravescit. Si vero calculus in ureteres inciderit fit acutissimus & pungens dolor, tam diu perseverans, quam diu calculus ibi hæret, nec desinit donec vel in vesicæ cavitate protrusus fuerit calculus, vel in renis cavum remeaverit. Præterea crus ejusdem lateris stupefcit, illiusque incurvatio prohibetur, ob muscoli psoas compressionem. Renibus vero affectis in toto demum corporis habitu mutatio aliqua observatur, in vesica vero exploratione per cathetere facta nulla urina deprehenditur, nulla gravitas aut tensio, nullus in pectine observabilis tumor, nullus ibi dolor, quæ posteriora certissime apparent, prioribus absentibus, ubi vesicæ vitio oritur malum.

XLVII. Obstructiones vero urethræ dignoscuntur immissa candela cerea, aut cathetere, quæ si penetrare non possunt, sed in via subsistunt, calculum aut carunculam grumum sanguinis, pituitam viscidam, aut aliam quampiam materiam obstruentem adesse demonstrabunt. Et illæ materiæ ita distiguuntur, quod nimirum si calculus canali impactus adfit, ille facile tactu dignoscatur, si vero caruncula urinæ com meatum

Impediat, præcessit gonorrhæa virulenta, aut ulcus in meatu virgæ longo tempore materiam purulentam emittens; si denique sanguinis grumus, pus concretum, vel pituita crassa obstructionem efficiant, antecedentia id nos credere cogunt, aut portiunculæ quædam eorum per virgam excretæ, vel immisso cathetere ad hærentes id satis patefaciunt.

XLIX. Debent deinde diligenter considerari quænam in corpore sint malæ dispositiones, qui morbi, an corpus sit cacochymicum, an cachecticum, an plethoricum, an inflammationes in illis partibus secretioni urinæ inservientibus observentur, an mixtu sanguinis aut puris, an calculo laboraverit æger, an alicubi caruncula aliqua obstet, an in vesica tumor, quæ causæ procatarticæ, an sc. casus, ictus, nimius veneris usus, subitanea partium inferiorum refrigeratio &c. præcesserint: Hæc enim omnia primo in suspicionem, deinde ad accuratiorem causarum cognitionem nos ducere, tamque ex ipsius ægri relatione, quam etiam accurata illius inspectione, diligentique per tactum exploratione dignosci sciri que possunt. Quo autem rectius quis veram causam conjecerit, eo rectius in omnibus morbis curationem instituet; sublata enim causa morbi tollitur ipse morbus.

XLIX. Est autem urinæ suppressio magnum malum, & gravissimum quidem si totalis sit. Et illa quidem quæ vitio renum fit, urina non separata, sanguinem inficit & inquinat, calorem nativum plane extinguit, inque totum corpus regurgitans serum, hydropem quasi inducit, illo sub cute collecto, quod scarificationibus factis etiam sincerum effluit. Quod si
id

id in majori copia cum sanguine ad caput deferatur in
soporosos quoque & convulsivos affectus incidunt,
& miserrime moriuntur. Vid. Jacotium comm. 1. ad
l. 7. sect. 2. aph. 26. Coac. Hipp.

L. Altera quæ vitio vesicæ & urethræ fit sup-
pressio urinæ, itidem mortem tandem inducit, gravis-
simeque torquet & angit homines, in tantum sæpe di-
stentâ vesicâ, ut umbilicum ipsum excedat, & inflam-
matione, ardentique febre superveniente cum maxi-
mo cruciatu ægri tandem animam emittant.

LI. Est autem acutissimus affectus, uti jam tum
supradictum, & cum totalis, intra paucos dies occidit,
& nisi ante septimum urina excernatur, mors certo
solet subsequi, & quanquam aliquando ad undecimum
& decimum quartum diem aut ulterius urina suppressa
fuerit, vita superstite, tamen, ut plurimum illa quæ
septimum diem excedit, à præclarissimis practicis pro
lethali censetur.

LII. De facilitate autem & difficultate curatio-
nis nihil certi in genere determinari potest, cum pro-
pter varietatem causarum, nunc majorum nunc mi-
norum, ipsa etiam curatio variet. In renibus alteratio,
vel major, vel minor esse potest, calculi, grumi, pi-
tuita non eodem modo se habent, aliquando unus, ali-
quando uterque ren affectus est, ideoque in genere
determinari hæc nequeunt, & sæpe propter impossi-
bilem causæ sublationem, dum nempe calculus in re-
nibus aut ureteribus ita firmiter impactus hæret, ut
nulla ope educere illum possimus, urinæ quoque sup-
pressio incurabilis evadit.

LIII. Ubi vero paralyfis partium inferiorum

simul adest, & ab illa quoque urinæ suppressio, tum valde difficilis est curatio, imo nulla; *ixypia* quoque quæ ad sauciatam spinam, aut post calum, aut vertebræ luxationem accidit, difficilis admodum, sæpe incurabilis est. Quodsi urinæ retentioni tenesmus supervenerit, septimo die moriuntur, si vero singultus, mortem proximam denunciat, ut & si odor urinæ in naribus & in ore ægrotantis sentiatur mortem in propinquo esse satis certum est.

LIV. Quam magnam igitur & eximiam utilitatem præstare possit causarum tam differentium digno-
tio & rursus quam insigne damnum, imo quandoq; & mortem ipsarum ignorantia aut imperitia, in hoc affectu satis superque manifestum est. Et sunt illæ Medico rationali semper instar Ducis, ad curationem rectissime instituendam, optatumque finem assequendum. Hinc curandi hujus gravissimi affectus ratio non una est, cum plures sint ejusdem causæ, ut supra memoravimus, proque causæ varietate, diversa quoque ineunda sit curatio, in proprie dicta tamen suppressione, urina quæ maxime molesta est semper omnimodo provocanda.

LV. Sunt enim multæ causæ *ixypia* inducentes ita comparatæ, ut non ita cito tolli possint, si ex. gr. crassi vel viscidi humores sint in causa, illi prius sunt præparandi, incidendi & denique purgandi, vel si caruncula aut schirrus meatum urinarium obstruat &c. tempus utique ad curationem requiritur; interea tamen urina à qua periculum imminet educenda est, quocunque modo potest. Fit autem imprimis instrumento quodam chirurgico, cathetere dicto, quod in-
undum

unum oleo amygdalarum dulcium, aut butyro non
salito in meatum urinarium ad ipsam usque vesicæ ca-
vitatem dimittitur, è quo stylo extracto urina effluit.
Instrumenta hæc ex optimo argento vel orichalco
conficiuntur, suntque concava, inque parte anteriore
& ad latera perforata, ut intrare urina & effluere per
ea possit. Quod si forte humor aliquis viscidus, aut san-
guis coagulatus foraminibus adhæreat eaq; obstruat sty-
lo in catheterem immisso iterum est expellendus. De-
bet autem Chirurgus illorum instrumentorum multa
in promptu habere genera, longa nimirum & brevia,
parva & crassa, notandumque hic est aliter illos cathe-
teres esse constructos qui viris, quam qui fæminis appli-
cantur, illi enim longiores, incurvati magis, hi vero
breviores & aliquomodo tantum inflexi sunt, ob diver-
sam constitutionem urethræ in utroq; sexu. Estq; hoc
notabile, quod *ἄδοξον* videri possit, aliquando magnū
& crassum catheterem citra ullum impedimentum im-
mitti in vesicam posse, non item tenuem vel parvum,
quod Cl. Chirurgus Fab. Hild. observavit, cujus rei
causam esse arbitror quod tenerum ac gracile instru-
mentum orificio vesicæ aperiendo non sit aptum, dum
urethram non satis diducit. Multa autem circa ipsam
catheteris applicationem consideranda sunt, requiri-
tur enim certa quædam *ἐγχείρησις*, imprimis in viris,
ubi dum chirurgus instrumentum vult immittere, ne-
cesse est semper virgam aliquantulum in altum & ver-
sus umbilicum attrahat, ut meatus urinarius extenda-
tur, rugæque instrumentum non detineant; Imprimis
autem operam dare debet, ut in illius immisione leni-
ter agat, nec si forte obstaculum aliquod deprehendat,
illud.

illud forti impulsione removere tentet, nisi forte calculus hæreat in urethra, qui casus hic merito est excipiendus, cum nulla alia ratione citius possit dimoveri quam propulsione in cavitationem vesicæ: At si callus aliquis hoc in loco obortus, omnino maxima opus est circumspeditione, ne validâ illâ catheteris intrusione malum potius augeamus quam tollamus; Quod tonsori cuidam imperito, pro chirurgo se venditanti, accidit, existimanti, lapidem esse in vesica, indeque suppressionem urinæ ortam, qui proinde immissum catheterem nec ad vesicam transeuntem fortissime impulit, unde suborto fluxu sanguinis, & dolore intolerabili, mox subsecuta est inflammatio, febrisque continua, morte tandem finē hujus cruciatus faciente, aperto autem cadavere constitit, tophum tantum in fistula urinaria hæsisse qui ex violenta illa pertusione catheteris febre & inflammatione superveniente mortem tonsoris inscitia causavit, ut pluribus videre est apud Petr. Forest. l. 25. obs. 16. Interim maximus hoc in affectu catheteris est usus, sed uti dixi, applicatio illius requirit peritum chirurgum, cathetere enim mediante & tollimus urinam in vesica contentam & hærens aliquid in orificio vesicæ simul removemus ne impediatur urinæ excretionem.

LVI. Si autem *ixçgia* ex diutina urinæ retentione orta sit, juvat multum si statim externe vesica manibus calefactis leniter comprimatur, & imprimis quidem hoc succedit in juvenili corpore, non ita in senili ceu præclarissimi practici annotarunt. Præterea corpus vesicæ topicis medicamentis est fovendum, quotiescunque vesicæ vitio oborta est *ixçgia*, ex medicamentis emolli-

emollientibus ut sunt malva, alth. Mercurial. flor. chamomill. Melilot. Sem. lini, fænugræc. quæ sacculis binis inclusa calide semper pectini & perinæo debent apponi: Imprimis experientia usum parietariæ quam maxime in hoc affectu comprobavit, quæ vel oleo frixa calideque ita apposita, vel una cum cepis & aliis in formam cataplasmatibus pectini imposita, egregie lotium provocat. Similiter etiam quam maxime conducit, si ex dictis herbis balneum aliquod seu semicupium paratur, cui æger ad umbilicum usque insideat, semperq; calore temperato conservetur, pedibus in semicupio extra aquam positis. Horum vero sediliū & quomodo semicupium præparari debet figuram qui videre desiderat adeat Cl. Ambrosium Paræum l. 17. c. 38. Egressus autem è balneo vel semicupio statim in lectum calefactum, ne venter refrigeretur deponatur æger, & medicamenta relaxantia cum confortantibus mixta propinentur, uti sunt decoct. rad. alth. malv. cum syr. dialthæ Fernellii & conf. alkermes. Inferiora vero linimentis erunt inungenda ex ol. chamæmel, irino, rutaceo cum oleo scorpionum &c. semperque balneum, lumborum inunctio, sacculi, cataplasmata toties, quoties necessitas dolorque requirit, reiteranda sunt, ut tandem optatum finem assequamur.

LVII. Cum autem alvus suppressa valde impediatur excretionem urinæ, ante omnia danda est opera ut illa libera sit, ideoque clysteribus proritanda, quæ non solum fæces educant, sed etiam fomenti loco quodammodo sint, propter situm recti intestini, illæ autem præparari debent itidem ex emollientibus supra jam tum maximam partem enumeratis; si vero fæces adeo duræ fuerint,

fuerint, ut enema immitti nequeat, tunc primo balneo est utendum, deinde nonnihil per hoc emollitis fœcibus enema adhibendum; observavit enim Cl. Dodonæus fœces adeo duras in intestino recto hæsisse, ut canaliculus clysteris immitti, antequam balneo usus esset, nequiverit. Quidam etiam practycorum tum purgationes commendant, quæ tamen non ita simpliciter admittendæ sunt, sed ratione habita corporis & aliarum circumstantiarum, ne plus noceant, quam profint. Quidam etiam casciam hoc in affectu valde commendant, & animam quoque renum vocant, & pro singulari remedio extollunt; alii vero eam urinam ciere, & acrem quoque reddere re ipsa se comperisse putant, ideoque haud commode in *ixxēia* imprimis legitima adhiberi posse arbitrantur, quare re videri potest Cl. Petrus Pigræus l. 7. c. 4. it. Fab. Hild. cent. 1. epistolarum, epist. 34. & 35. Loco itaque purgationis tutius & commodius, ut jam supra dictum, clysteres, quoties opus erit, adhiberi poterunt.

LIIIX. Si vero *ixxēia* oriatur à calculo in vesica hærente medicamentis à præclarissimis practycis maxima copia enumeratis ille, si fieri potest, resolvendus, & ex corpore deturbandus est, quod si vero hoc non ex voto succedat, ad operationem chirurgicam deveniendum, excindendusque est. Quomodo autem hæc peragi debeat, quibus medicamentis corpus prius præparari, quomodo æger situandus & ligandus, quæ instrumenta ad hanc operationem recte peragendam requirantur, quo in loco sectio sit facienda, quomodo calculus eximendus, quomodo denique vulnus post calculi extractionem sit tractandum & consolidandum, quæque medicamenta
tum.

tum sint exhibenda, ad præcavenda symptomata futura,
& auferenda præsentia, id quam elegantissime & maxime
perspicue traditur à Cl. Fab. Hild. in lib. de lithotom:
vesicæ.

LIX. Deinde si urinæ suppressio à grumo sangui-
nis vel viscida pituita in urethra hærente orta sit, illam
dissolvamus necesse est, medicamentis idoneis, quæ
quamplurima à practicis suppeditantur. Quæ si non ex
voto operentur, urinæque copia urgeat, tum cathetere
immissio viam aperire tentamus, urinamque educimus,
illaque aliqua parteeducta in applicatione medicamen-
torum resolventium continuamus, donec in totum sub-
latum sit, id quod excretionem impedivit. Denique si
caruncula in urethra hærens *ixxiā* inducat illa omnino
est tollenda donec in hunc finem medicamentis, eam
consumentibus, quæ extremitati candelæ cereæ appo-
nuntur, illaque mediante ad carunculam deducuntur pau-
latimque eam consumunt. Medicamenta autem illa
sunt vel Mercur. Præcipitat. vel antimonium crudum
&c. quod totaliter immisissum, carunculam paulatim ex-
siccat & consumit. Si vero nullus urinæ transitus pro-
pter carunculam concedatur, immisso itidem cathetere
procuretur, qui tum per aliquot dies intus est tenendus
ut foramen ampliatur, & caruncula quodammodo remo-
veatur, & urina effluere possit. Calculo autem in ure-
thra hærente, totalem illius exclusionem procurabimus,
digitis modeste impellendo virgamque humectando oleo
tepedo, vel decocto herbarum emollientium, cum foras
applicato, tum per siphonem injecto, poterit etiam pe-
culiari instrumento chirurgico, quod depingit Fab. Hild.

in no. de lithotom. ventic. c. 26. p. m. 755. contingi in ipsa urethra, & deinde excludi, vel illo instrumento apprehensus totus extrahi. Quod si neque hoc modo exclusio procurari possit, ligetur utrinque membrum, & in parte carnosâ sectione factâ educatur, de qua operatione vide plura egregia sane, ap. paulo ante memoratum Cl. Fab. Hild. in lib. de lithotom. vesicæ.

LX. Quæ autem vitio renum oritur, alias illegitima vocata *ixxeria*, quoniam non ope chirurgica illi subvenire possumus, sed medicamentis tantum, ex illis imprædiuretica remedia conveniunt, uti sunt ex simplicibus vegetabilibus, sem. nasturtii, apii, petroselini, dauci, levistici, nigellæ, alkekengi, Mili Solis, rad. rub. tinct. asari; deinde testæ ovi ex quo pullus extractus est, relicta membrana interiore &c. Hæc autem vel relaxantibus mixta, vel combusta factoque inde lixivio ægro propinantur. Sales etiam lixivos nonnulli cum maximo successu in hoc affectu exhibent, uti est sal stipitum fabarum, absynthii, tartari &c. Spiritus quoque aperientes egregium edunt effectum, uti est spiritus salis, vitrioli, sulphuris, therebinthi-næ &c. Pulverem itidem in officinis lithontribon dictum, aliaque medicamenta diuretica vehementiora commendant Practici, quæ tamen periculo non vacant, si præsertim corpus abundet, multis vitiosis humoribus, illa enim vehementia diuretica multos vitiosos humores ex superioribus ad renes propellunt, ita ut calculus non solum magis magisque ureteribus impingatur, sed totum quasi corpus per renes expurgetur, & tandem inflammationes internæ, morsque ipsa subsequatur, ceu sæpissime expertus est Cl. Fab. Hildanus. Prudentia igitur hac in parte

parte maxime opus est, semperque iis diureticis, quoniam maximam partem calida & tenuium sunt partium refrigerantia cum relaxantibus sunt admiscenda. Quidam etiam Cl. Practicorum maxime commendant in hoc casu balneum ex oleo lini, ex eoque egredienti ægro ventosas à regione renum ad pubem usque sat fortiter tractas, & sæpius iteratas abhibent, qua methodo multos præaquarum multitudine monstrosos, ab orci faucibus quasi ereptos memorat Cl. Paulus de Sorbait in medicina practica cap. 71. quamvis, quomodo cucurbitulæ per abdomen ad renes & ureteres usq; vim suam exserere possint, vix pateat.

LXI. Quod si vero à repletionem vasorum sanguineorum in renibus malum ortum sit, quoniam tunc ex illorum compressione omnimoda impeditur secretio, quam maxime hic venæsectio convenit, & illa sola malum hoc plerumque tolli potest. Vid. Riv. obs. 13, cent. 2. Ita quoque quando ab inflammatione renum oritur *ischiæ*, injecto prius clystere, venæsectio omnino est instituenda revulsivæ causa, deinde vero propinari ægro potest emulsio quædam sero lactis caprini facta, ex sem. Melon. cucurbit. amygd. dulc. papav. portulac. dauci, sem. 4. frigid. &c. Vel hujus loco juscula ex lactuc, endiv. portulac. fabar. flor. nymph. ros. violar. & sem. frig. cocta exhiberi possunt, addita portione aliqua succi limonum. Extrinsecè repellentia sunt administranda v. gr. oxyrrhodinum, ungu. & ol. rosat. ungu. refriger. Galen. Comitiss. ceratum santal. cum mucilag. sem. cydonior. & psyllii, hoc autem fiat tantum in principio inflammationis, in augmento enim inflammationis digerendum po-

tius est decocto alii. *maliv. violar. parietar. chamomili. melilot. sem. lini, fœnugræc. rad. lilior. alb. alth. &c.* in hydromelite facto. Et si inflammatio tendat ad sup-
purationem, quod impr. patet ex febris augmento & ri-
goribus, prædictis addenda sunt passulæ, ficus &c. Rupto
vero abscessu ad detergentia deveniendum, ut sunt emul-
siones ex decocto hordei, in quibus parum therebinthi-
næ in aqua parietariæ lotæ dissolutum sit, uti pluribus
docent præclari præctici.

LXI. At aliquando etiam in vesica inflammatio
& apostema, quorum sublatio debitis modis procuran-
da imprimis revellentibus, derivantibus, refrigerantibus,
ac modice repellentibus, anodynis, solventibus, vel
suppurantibus si opus fuerit aliisque, maximam partem
thesi præcedente jam tum enumeratis curatio potest per-
fici: Imprimis autem hoc notandum circa inflammatio-
nem vesicæ, ne temere syringationem cum cathetere in-
stituamus, inde enim inflammatio augetur, delirioque
cum convulsionibus supervenientibus mors solet subse-
qui, uti pluribus exemplis annotarunt Præctici: facta
tamen jam suppuratione immisso cathetere ruptum fu-
isse apostema, experientia docuit.

LXIII. Ultimo loco de diætâ agi debet, non multa
tamen circa illam monebo nisi quod in suppressionibus
urinæ abstinendum sit à potu, quantum possibile est, &
diureticis impr. cerevisiis, uti sunt Hamelensis, Lothari-
ensis &c. ubi nempe vesicæ vitio *ixygia* orta est, ne ma-
jor semper fiat distensio vesicæ, dolorque aliaque sym-
ptomata augeantur. Pro potu igitur potius uti potest
decocto agrimonix, veronicæ cum liquiritia addito cina-

momo

momo & saccharo ad gratiam. Præterea ab omnibus
crudis & difficilis coctionis, sanguinem item adurentibus
cibus abstineat æger, uti sunt omnis caro salsa & suffumi-
gata, pisces, caro ferina caseus & similia; certa quoque
aromata hoc in affectu non conveniunt, uti est piper,
zinziber, cariophilli, item raphanus, cepæ &c. Urinæ
autem excretionem, justo diutius remorari nemo de-
bet, qui sanitatis suæ habet rationem. Sed pedem figo,
& Deo gratias ago immortales. Faxit idem, ut reli-
qua cuncta à nobis pertexenda itidem
feliciter perficiantur.
Faxit!

F I N I S.

M E I B O M I I dum docta premis vestigia,
Amice,
Expreslum artificis cernimus inge-
nium.

Postera MEIBOMIUM clarum mirabitur ætas
Te claram sobolem tempora fera ferent.
Jam suppressa doces ut possunt flumina solvi
Corporis humani, præmia digna refer

Pæo-

Pæonii cætus gaudebunt, Præses, alumni,
Corpora gaudebunt pressa dolore gravi.

*Hoc epigrammate in honorem Amici & com-
mensalis sui charissimi scripto suam memo-
riam commendare debuit voluit.*

ANDREAS HERMANNUS Hellberg.

Nonne Tuas, P A P K I, merito demirer
abyssos

*Mentis; & ingenii fertilioris opes?
Felici nisu, qui quotquot dentur ubiq;
Naturæ & morbi semina scire cupis.
Sic Tua sedulitas præclaro sistitur orbi,
Dum cathedram scandis doctaq; verba facis.
Applaudo cæptis: felicia fata sequantur,
Ut TIBI succedant, quæ Tua vota volunt.*

Ita

Nobil. Dn. Respondenti Amico suo
suavissimo gratulatur

J. B. SALMUTH.





